

DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMVS [1466-1536 post Chr.]

Nephalius Hodie te conventum volebam, Philypne,
sed negabaris esse domi.

Philypnus Non omnino **mentiti sunt**: tibi quidem
non eram, sed mihi tum eram maxime.

Ne. Quid istuc **aenigmatis** est?

Ph. **Nosti** illud **vetus** proverbium: “non omnibus
dormio”. Nec te fugit ille Nasicae iocus, cui
Ennium **familiarem** invisere volenti, cum ancilla
iussu **heri** negasset esse domi, sensit Nasica et
discessit. **Ceterum** ubi **vicissim** Ennius Nasicae
domum **ingressus** rogaret puerum, num esset
intus, Nasica de **conclavi** clamavit, “Non,
inquiens, sum domi”. Quumque Ennius agnita
voce dixisset, “Impudens, non te loquentem
agnosco?” “Imo tu,” inquit Nasica, “impudentior,
qui mihi ipsi fidem non habeas, cum ego
crediderim ancillae tuae.”

Ne. Eras fortassis occupator.

Ph. **Imo** suaviter otiosus.

Ne. **Rursum** aenigmate **torques**.

Ph. Dicam igitur explanate, nec aliud dicam ficum,
quam ficum.

Ne. Dic.

Ph. Altum dormiebam.

Ne. Quid ais? Atqui iam praeterierat octava, cum sol
hoc mense surgat ante quartam.

Ph. Per me quidem soli liberum est vel media nocte
surgere, modo mihi liceat ad **satietaem** usque
dormire.

Ne. Verum istuc utrum casu accidit, an consuetudo
est?

Ph. Consuetudo **prorsus**.

Ne. **Atqui** rei non bonae consuetudo pessima est.

Ph. Imo nullus est somnus suavior, quam post
exortum solem.

Ne. Qua tandem hora soles lectum relinquere?

Ph. Inter quartam et nonam.

Ne. Satis amplum spatium: **vix tot** horis
comuntur reginae. Sed unde venisti in istam
consuetudinem?

Ph. Quia solemus convivium, lusus et iocos in multam
proferre noctem; id dispendii matutino somno
pensamus.

Ne. Vix unquam vidi hominem te **perditius**
prodigum.

Ph. Mihi **parsimonia** videtur magis, quam profusio.
Interim nec candelas absumo, nec vestes detero.

Ne. **Praepostera** sane parsimonia, servare vitrum, ut
perdas gemmas. Aliter sapuit ille Philosophus,
qui rogatus, quid esset pretiosissimum, respondet,

Mentior, -iri, itus: falsum dico promitto

Aenigma, -atis, n.: mysterium

Nosti: novisti

Vetus, -eris: (adiectivum) antiquus

Familiaris: amicus

Herus, -i, m.: dominus

Ceterum: tamen

Vicissim: rursus, contra

Ingredior, -i, -ssus: intro, introeo

Conclave, -is, n.: cella, cubiculum, quod clavi
clauditur

Inquiens: ex verbo “inquam”: dico

Imo/immo: revera

Rursum: iterum

Torqueo: distorqueo

Satietaem, -tatis, f.: quando tibi est satis nec plus
vis.

Prorsus: immo, verum

Atqui: [quid significat?]

Vix: difficulter

Tot: tanti, (-ae, -a), tam multi, (-ae, -a)

Como, -ere, -mpsi, -mptum: adorno, ≈decoro
(aliquid decoro, sed aliquem como)

Perditus, -a, -um: sine spe

Parsimonia, -ae, f.: frugalitas; quam minime
consumere

Praeposterus, -a, -um: in ordine perverso

“tempus.” **Porro** cum constet, **diluculum** esse totius diei partem optimam, tu quod in re pretiosissima pretiosissimum est gaudes perdere.

Ph. An hoc perit, quod datur corpusculo?
Ne. Imo **detrahitur** corpusculo, quod tum suavissime **afficitur**, maximeque **vegetatur**, cum **tempestivo** moderatoque somno reficitur, et matutina vigilia corroboratur.

Ph. Sed dulce est dormire.
Ne. Quid esse potest dulce nihil sentienti?
Ph. Hoc ipsum dulce est, nihil sentire **molestiae**.
Ne. Atqui isto nomine feliciores sunt, qui dormiunt in **sepulcris**. Nam dormienti nonnunquam insomnia molesta sunt.

Ph. Aiunt, eo somno maxime **saginari** corpus.
Ne. Ista **glirium** sagina est, non hominum. Recte saginantur animalia quae parantur **epulis**: homini quorsum attinet **accersere** obesitatem, nisi **graviore sarcina onustus incedat**? Dic mihi, si famulum haberes, utrum obesum mallet an vegetum, et ad omnia munia habilem?

Ph. Atqui non sum famulus.
Ne. Mihi sat est, quod ministrum officiis aptum mallet, quam bene saginatum.
Ph. Plane mallet.
Ne. At Plato dixit, animum hominis hominem esse, corpus nihil aliud esse quam domicilium aut instrumentum. Tu certe fateberis, opinor, animum esse principalem hominis **portionem**, corpus animi ministrum.

Ph. Esto, si vis.
Ne. Cum tibi nolles ministrum **abdomine** tardum, sed agilem mallet et alacrem, cur animo paras ministrum ignavum et obesum?
Ph. Vincor veris.
Ne. Iam aliud dispendium accipe: ut animus longe praestat corpori, ita fateris, opes animi longe praecellere bona corporis.

Ph. **Probabile** dicis.
Ne. Sed inter animi bona, primas tenet sapientia.
Ph. Fateor.
Ne. Ad hanc parandam nulla diei pars utilior, quam diluculum, cum Sol novus exoriens vigorem et alacritatem adfert rebus omnibus, discutitque **nebulas** e ventriculo **exhalari** consuetas, quae mentis domicilium solent **obnubilare**.

Porro: praeterea, atque etiam
Diluculum, -i, n.: primo mane, dum surgit sol

Detraho, -ere, -xi, -ctum: removeo
Afficio, -ere, affeci, affectum [iam familiare videtur!]

Vegeto, -are: vigorem alicui (somnia) dare
Tempestivus, -a, -um: Si aliquid tempestivum, evenit ad tempus, non prius, nec serius.

Molestia, -ae, f.: quae irritat.
Sepulcrum, -i, n.: tumulus; ubi requiescunt dormiunt mortui semper

Sagino, -are: aliquem/aliquid (saepe animal) obesum facio

Epulum, -i, n.: vel prandium vel cena sumptuosa, cum cibus optimis vinisque

Accerso/arcesso: ≈efficio
Gravis, -e: ponderosus, non levis
Incedo, -ere: ambulo



Vegetus, -a, -um: alacer, vigore plenus
Fateor, -eri, fassus: confiteor, -eri, confessus [Hoc ultimum familiare videtur!]

Portio, -onis, f.: pars
Abdomen, -inis, n.: venter, stomachus (pinguis)

Probabilis, -e: credi potest
Obnubilo, -are: obscuro, -are